





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

HYDROPE ASCITE,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

PRINCIPE PORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

PRÆSIDE

D. FRIDERICO HOFFMANNO,

COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

*PRO DOCTORIS GRADU
OBTINENDO,*

Publico Eruditorum examini submittet

AUCTOR RESPONDENS

JOHANNES JACOBUS WEISE,

BEROLINENSIS - MARCHICUS.

D. Junii MDCCXVIII. Horis, locoque consuetis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.



13.

DISSSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**HYDROPE
ASCITÆ**

AVCTORE
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERTWIMONII PRINCIPIS DE BOLLING.

DOMINO CAROLO,
PRINCIPIS PORUSSIAE, MARCHIONIS BRAN-
DENBURGICO.

D. FRIDERICO HOFEMANNO,
COLLEGI MEDICINÆ & DECANO.

PRO DOCTORIS GRADU
OBTINENDO.

AVCTORE
ACTOR RESPONDENS
JOHANNES JACOBUS WEISE,

MDCCCLXXIII. JENÆ, apud
WILHELMUM WEDERHAGENIUM.
Typis CHRISTIANI HERSCHELII Acad. Typ.





DE
HYDROPE ASCITE.

PROOEMIUM.



Aud facile graviores

in cursu studiorum meorum mihi deprehendere licuit errores, quam qui ex sequenti scaturigine promanarunt. Inveniuntur nimirum, qui hypothesin ex proprio ingenio confingunt, eamque pro certa habent, posteaque ex ea rationem phenomenon reddere satagunt. Quod si cum plurimis modo bene procedat, rem feliciter se confecisse, & scientiæ nomen huic suo inde exstructo Systemati imponi posse putant. Et hæc videtur plerorumquæ fere unica fuisse norma, quam in procedendis novis Systematibus sequi se quam tutissime posse existimant.

A 2

Im-

Imputant hunc errorem communiter Nobilissimo Cartesio, quasi ille primus suo exemplo hunc perniciosissimum philosophandi modum docuerit. Verum enim vero mihi videntur hac chorda oberrare omnes veteres physici, Aristotelici præcipue, quibus nil familiarius, quam abstractionibus suis in explicanda rerum natura abuti; Imo Medici veteres fere omnes in hoc luto hæserunt. Horum hic possem texere seriem numerosissimam, nisi plane alienum a proposito meo foret. Fatendum tamen prælaudatum Cartesium vitam quasi reddidisse huic modo philosophandi, consepulto quodammodo per methodum experimentalem a Cl. Verulamio aliisque in philosophiam naturalem introductam.

Ast, cum ex eo, quod plurima phænomena ex hypothese aliqua explicari queant, ejus possibilitas, non vero certa veritas eluceat; (unius enim rei plures possunt esse causæ) cumque facile seducantur auctores, ad corrumpendam mutilandamve rei historiam, ut salvent hypothesein; possit etiam hypothesis vera esse, quanquam nondum modus pateat, quò omnia phænomena ex ea resolvi queant, ut cætera taceam incommoda: facile apparebit, periculi plenissimum hunc esse modum inveniendi veritatem.

Melius igitur ii sibi prospiciunt, qui non in alterius nec in unius jurantes verba magistri prius ex attenta observatione phænomena omnia sollicitè colligunt, deinde singula seorsim perpendunt, ac denique ex eorum inter se comparatione rationem eorum phænomenorum

rum

rum reddere intendunt; quæ enim ita inveniri nequeunt, certe incognita manebunt.

Hanc semitam & ego ingressus sum in consideratione Thematis, quod SPECIMINIS INAUGURALIS loco elaborare suscepi de HYDROPE ASCITE; Ita enim quam tutissime veram adfectus nostri indolem explorari posse nobis visum fuit. Si tamen alicubi errasse deprehendamus, veniam apud æquos Lectores facile nos impetraturos speramus, dummodo perpendere velint, hæc non pro materiæ ipsius amplitudine & dignitate fuisse pertractata, sed pro ingenii nostri modulo, cujus aliquod specimen hic dare, & primam quasi fœturam excludere in animo habuimus.

Cum argumentum valde compositum præ manibus habeamus, dispertiemur melioris ordinis causa Tractationem nostram: ita ut primo, præmissa definitione nominali, Historiam ponamus, si non omni, maxima tamen ex parte completam; ab hac progrediamur ad Causas; dein ad Signa; iis denique tanquam principiis, & justis præsuppositis in enucleanda Therapia insistamus.

Faxit Deus O. M. ut veritatem, quantum licet in hac rerum humanarum caligine, assequamur, & hæc nostra molimina omniaque studia nostra in sui Nominis Gloriam, commodum proximi, nostramque salutem cedant.

Thesis I.

INter varia & mira morborum genera, quibus cum humanum nostrum corpus quotidie conflictari debet, scepius quoque nostræ sanitati infestissimus se prodit ille hostis, *Hydrops* vocatus, qui variis omnino machinationibus aggreditur nostram machinam eaque obsessa varias in ea ludit Tragœdias, miro modo medentium operas illudens. Nulla enim propemodum pars nostri corporis est, quam non obsedisse aliquando observatores memorant, sic, ut meritò in classem adfectuum generalium, qualis sunt Inflammatio, Scirrhus &c. referri mereatur.

II.

Non libet hic terere aures inutili transcriptione illa *Etymologiæ* hujus nominis; Ut autem quivis statim intelligat, quid nobis eodem veniat, non supervacaneum puto, *Descriptionem* hujus morbi brevem nostræ Tractationi præfigere: *Est nempe Tumor p. n. vel totius nostri corporis, vel quarumcunque ejus partium mollis, albus ab aqua vel aëre distendente procreatus.* Albò enim colore a quòcunque tumore inflammatoriò, a scirrroso vero molli adtactu distingvitur.

III.

Nobis non proposuimus omnes hujus adfectus percurrere classes, sed ad evitandam omnem prolixitatem inter species hujus morbi principales, quarum tres ab auctoribus recensentur, *Anasarca, Tympanites, Ascites*, ultimam hanc maximo omnium suffragio, inter ceteras

teras dirissimam elegimus, omnia, quæ de Hydropè in genere dicturi sumus, ad hanc in speciè applicaturi.

IV.

Est autem *Ascites*, ut hujus quoque nominis rationem reddamus *Tumor p. n. abdominis ab aqua distendente generatus*. Quod eum Tumorem abdominis nominavimus, in eo distinguitur a reliquis hydropis speciebus capitis, thoracis &c. maximè ab *Anasarca*, quæ non abdomen tantum, sed totum corpus obsidet. Ab aqua eum generari diximus, a potiori facta denominatione, hæc enim formali ratione a *Tympanitide* differt, in qua abdomen a flatu imprimis distenditur. Reliquas differentias suo trademus loco.

V.

Nolumus paginas implere variarum hujus vocis acceptionum commemoratione, Criticorum potius judicio committenda, cum præcipue res sit ad hujus seculi palatum fastidii plenissima. Ad utiliora magis nos conferemus, ipsius nempe indolis hujus morbi accuratorem, quantum a nobis fieri poterit, evolutionem.

VI.

Primum, quod observatur in ægris hoc morbo detentis, est *Tumor pedum*, qui plerumque portam aperire reliquis funestissimis malis solet. Communis fere omni Hydropi. Asciti tamen imprimis familiaris, quam nec hunc semper præcedere soleat. Etiam si vero non semper in initio adsit, morbo tamen confirmato non abest, tum autem pejoris ordinariò indolis observatur.

tur teste Cl. *Baglivo* Diff. varii argum. p. m. 71. Incipit enim ex experientia *Avi mei* *Tympanitis* nonnunquam etiam in ventre vel scroto, ita ut præcedat Hydrocele (quæ alias in fine plerumque supervenit) idem quoque contingit, quando a Tympanitide incipit. Exserit se Tumor circa malleolos imprimis & talum, qui magis auctus, suras quoque & crura occupat, imminuitur corpore magis declivi, ægro noctu in lecto decumbente, interdiu vero, cum corpus erigitur & ægri sedent vel ambulant, ad pristinam amplitudinem redit.

VII.

Huic, si per congruas medicationes non tollatur, (nam facile per duas tresve septimanas œdema durare potest, imò annos, non statim subsequente Ascite, si nimirum id medicamentis & congruo vitæ genere in statu suo conservetur) succedit Tumor & inflatio abdominis circa inguina incipiens, & successu temporis ad scrobiculum usque pertingens. Imo quandoque thoracem occupat; faciem & manus, sic ut universalis inde Hydrops oriatur. Tanta vero amplitudine hæc distensio esse solet ut ægri ipsi ne quidè pedes suos cernere præpropèdente abdomine possint. Augetur hic Tumor nunc sensim & vix animadvertentibus id ægris, nunc subito tanta irruit aquarum distendentium vis, ut ab ipsius abdominis ruptura omni momento sibi metuant ægri.

VIII.

Ab impresso tumori digito fovea aliquandiu remanet, nonnunquam tamen durus est & renitens, imprimis, quando a Tympanitide incepit, vel in sua
con-

constitutus, ubi aquæ ab impressione digiti recedendi nullus amplius relictus est locus. Splendet tum cutis, quæ sic nimium distenta lævior evadit & politior.

IX.

Comitatur eundem *lassitudo* quædam & *gravitas* omnium artuum, præcipue inferiorum, qui pondere suo corpus reliquum ad humum semper deprimunt.

X.

Fluctuationes in infimo ventre percipiunt ægri, si corpus in latus alterutrum movent, quod tamen haud in omnibus observatur, quanquam in quibus tales volutationes de latere in latus audiuntur, de morbo mentem non sinunt amplius esse dubiam. In morbo enim inveterato, & in quibus aqua suis cistis peculiaribus continetur, uti inferius dicemus, minimè talis motus de loco in locum contingere potest.

XI.

Dolore quoque *sensivo* nunc in dextro nunc in sinistro hypochondrio adficiuntur, cui quandoque accedit insignis *pruritus* in partibus pedum membranosis, imprimis plantis, quæ acri ac rodente madore aliquando irrorantur. Nonnulli maximos *cruciatus* in femore percipiunt, ac si secarentur vel urerentur, ut voce quoque altâ clamare cogantur; nonnullis inde *ulcera* crurum & *abscessus* oriuntur, ordinario tamen eventu funesto. Mali enim solent esse moris & difficulter ob serum continuo adfluens & magis sua acredine partes rodens, consolidantur. Nonnunquam *maculæ fusæ* & *lividæ* in illis tumetibus partibus apparent.

XII.

In nonnullis *penem* inflari *cum scroto*, adeo ut hoc ad capitis magnitudinem excrescat nonnunquam, observatum fuit. Retrahitur quoque præputium, sicut fœda mictione faciem sibi maculent. Maximam istam virgæ unâ & scroti intumescenciam observavit *Avus meus* b. m. in sutore hydropico, adeo, ut glans seu balanus contabesceret ad digiti minoris crassitiem, & in rotum retorqueretur, ut cum summa urinandi difficultate se ipsum æger commingeret. In fœminis *Labia uterina* intumescunt, uteri quoque prominentiam iis accidisse memorant inter alios & *Acta Hassniensia* T. 2. p. m. 139.

XIII.

Quibus sic constitutis *superiora* magis magisque *contabescere* solent, quo magis Tumor in inferioribus & ipso ventre increfcit. Aliter tamen se res utique habet, si hydrops pectoris origo fuerit morbi, vel anasarca juncta sit. *Faciei color* quoque solet esse *fedus* ex virore albicans, vel ad citrinum & plumbeum declinans. Neque tamen negandum, multos asciticos sic satis vivido esse colore, teste *Argenterio* in Comm. §. II. l. 4. Observavit quoque *Avus* b. m. obs. msst. in ascitico quodam floridum faciei & totius cutis in corpore colorem ad finem usque vitæ permansisse; Corpus etiam hujus viri parum absumptum, sed pingue satis & boni habitus fuit.

XIV.

Pulsus ut plurimum mollis, undosus & frequens est, nonnullis subdurus & parvus, indicium *febricule*,
que

quæ comitari hunc morbum plerumque solet; est vero hæc *continua, lenta*, circa vesperam intolerabilior, tam parva quandoque, ut vix sensibus obvia sit. Interdum satis vehemens esse solet, quando sc. morbis acutis, viscerum inflammationibus hydrops supervenit, & tunc etiam pulsus pro ratione febris solet esse vehementior.

XV.

Haud parum quoque discruciantur ægri *Dyspnœa*, quæ omni hydropis speciei familiaris est, gravissima tamen in asciticis. Accedit plerumque, cum tumor abdomen totum occupans thoracem petit, quandoque tamen tumorem præcedit, eumque cæteris paribus ut plurimum præfagit. Exacerbatur post motum corporis vehementiorem, & noctu ob situm corporis declivem, abdominalisque aquæ adscensum, quare magis erecto corpore sedere, quam decumbere cupiunt, imprimis quando hoc symptoma cum ipso morbo eundo majores vires acquirit. Plane non ferunt totius corporis decubitus; si enim hoc aliquando tentant, manifestum incurrunt suffocationis periculum, sic ut mox corpus erigere cogantur, atque cum insigni levamine plerumque tunc melius respirent. Est tamen & ille corporis erecti in sella situs iis haud parum molestus, mire enim corpus inde defatigari & exhauriri vires sentiunt, quarum defectus, si in ullo morbo, certe in hoc funestum post se trahit exitum.

XVI.

Semper etiam *Flaribus* vexantur ascitici, ideo non mi-

randum, si tympanitis huic adfectui jungatur, has enim duas species Hydropis invicem permisceri expertus est *avus in Obsf. ms. s. s. Cap. de Hydrope*, cujus propria hæc sunt verba: „Nullus in progressu seu statu morbi (a quo tempore denominandi sunt) est ascites, „nulla tympanites, in quibus, hic quidem simpliciter „flatus, ibi vero solum serum accusandum sit permanner & toto morbi decursu: sed semper ex prædominante fit appellatio; si flatus sunt plures, refertur „hydrops ad tympanitidem; si serum exsuperet, ad „asciten. Et de tympanitide omnes practici consentiunt, de ascite autem qui dubitat, consulat experientiam; Semper enim unà flatibus abundant.

XVII.

Accedit his, idque in fine magis morbi, *Tussis arida* secundum *Hippocr. Lib. prænot. & Coac. §. 452*. Quæ quo ficcior, eo plerumque solet esse pejor, quicquid enim virium corporis a sævitia præcedentium symptomatum reliquum & intactum mansit, hic plerumque cum ipsius ægri vitâ interire consuevit.

XVIII.

Ad res dictas non n. les quod attinet, & quidem primò Cibum & Potum, magis hujus quam illius excessus observatur. *Appetitus* enim ab initio morbi per totum ejus decursum plane prostratus esse solet, sic ut nonnulli quoque a ciborum adspectu abhorreant. Videntur, inquit *Hipp.* vel quisquis est *Autor. lib. de int. adfect.* alimenta cucumerem agrestem olere præ averfatione a cibo. Nonnullos tamen bene appetere & com-

medere, *Avus b. m.* observavit. *Sitis* vero urget afflicta, secundum illud Ovid. lib. Trist.

Quibus intumuit suffusa venter ab unda,

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Hanc p. n.lem sitim, quam plerique pro diagnostico hujus morbi signo adferunt, abfuisse observavit *avus b. m.* in eod. ægro §. 13. allegato, qui alias satis bibulus fuerat ad crapulam usque. Ordinario tamen solet adesse, & quandoque sic augeri, ut observatum sit, ægros suam urinam bibisse alio potu destitutos, & malagmata sua devorasse teste *Celso lib. 3. c. 21. p. m. 161.*

XIX.

Quidam multum *vigilant*, imprimis juvenes atque quibus nondum a prægresso morbo exhaustæ sunt vires, ubi quoque febris plerumque intensior solet esse. Senes vero morbo confirmato *somnolenti* sunt, in speciem eorum, qui *Lethargô* adficiuntur.

XX.

Abvus plerumque *adstricta* nonnullis, raro tamen laxa, qualem *Avus b. m.* in ascitico quodam simul anasarca laborante invenit. Fæces v. albidæ, colore suo flavo virefcente naturali destitutæ. Quibusdam accidit *Dyarrhœa* eaque serosa, quæ si inter initia morbi incidat, eum plerumque solvit, si vero ipso morbo jam aucto superveniat, signum lethiferum præbet. Sentiunt tum ægri in nimio isto alvi profluvio sensum morficantem & vellicantem intestina. *Menses* rite solent fluere, nisi quando ab aliis causis impeditæ fuere morbo jam instituto, vel ante ejus generationem, quando nimirum ab earum suppressione dependet.

B 3

XXI.

XXI.

*Urina ad mensuram eorum, quæ assumuntur ex liquidis, pauca, crassa, & in asciticis præcipue cum copioso subinde sedimento rubro, lateritio emittitur; quibusdam tenuis fluit, alba instar aquæ, incocta. Mittitur haud raro cum insigni inter fluxum ardore & stranguria, certo acredinis, si saporem jungas, testimonio. Vifa quandoque crocea, quæ cum adsit, hunc hydropis statum desperatum pronunciant autores, imprimis si febricula simul adsit continua. Aqueus color, quocunque aliò durante tumore, semper optimus habetur. Observandum tamen hic est hanc urinæ imminutionem non semper huic morbo adesse, nec omni tempore uti ex *avi b. m.* observatione didici, cujus propria verba ex misso sup. cit. hic apponam. „In principio fere respondet potui urina, quatenus ea proportio in naturâ locum habet; in fine „vero minuitur urina maximè, ubi tamen hydrops jam „est generatus & in suâ *axum* quasi. Observavit quoque „urinam imprimis fuisse rubram cum magnò sedimentò „rubrò partim fuscò & atrò in medio, quo ad dimidium „semper replebatur urinale, quando hic morbus ex *Itle- ro* natus fuerat.*

XXII.

*Urinam, si fluat, morbo nondum confirmato, semper levasse ægrum observatum est, quandoque tamen ista excretio mortis nuncius esse solet, si viribus solutis contingat, atque copiosissima sit. Ad hanc morbi per urinam solutionem pertinet quoque sapius apud autores medicos repetita observatio *Wieri* de pulvere bufonum, cui-*

dam

dam mala quidem intentione, optimo vero eventu exhibitio, convaluit enim a morbo, subsequuta maxima urinae excretionem.

XXIII.

Plurimi quoque *Diarrhoea* sponte superveniente cum sanitate redierunt in gratiam, cui quoque adspiciatur *Hippocr.* S.6. aph.14. *Hydrope detemo* si aqua e venis in ventrem confluerit, solvitur morbus. Exemplum vero, ubi morbo consummato accedens mortem intulit, habet *Welschius* Curat.4. Dec.7. conf. §. 20.

XXIV.

Ad sudorem rarissime proclives sunt, hinc illa solutio morbi rarius quoque contingit; quandoque quidem corpus humore quodam madidum habere solent, cum sensu frigiditatis ac horripilatione febrili: nunquam tamen hoc cum euphoria aegri contingit; potius observarunt, quod quando ad sudorem per artificia, balnea imprimis, coacti fuerunt, accedente apoplexia, mortem oppetierint; sed nec in balneis quidem sudore semper madescere inquit *Aretæus* l. 2. diut. c. 1.

XXV.

Meliusculè longè habent à vomitu, a quo multum levaminis sentiunt. Imprimis *Dyspnœa*, qua ordinariè anguntur per §. 15. solet a sua atrocitate remittere. Ipsum quoque morbum aliquando e medio sustulit opportunè inter initia accedens vomendi conatus; sic *Forrestus* obsl. 32. l. 19. hydropticum pro desperato habitum refert, qui navim conscendens provocato vomitu, post vomitum exercitio, integrè curatus fuit.

XXVI.

XXVI.

Casu sæpius hic morbus profligatus ex vulnere in scroto vel crure accepto, per quod aqua paulatim effluxit; exempla videri possunt apud *Schenckium* *obs. medic. p. m.* 481. 482. & seqq. *Zacutum Lusitanum* de princip. med. hist. l. 2. obs. 23. p. m. 405. Mirum est, quod *Hildanus* refert *Cent. 1. obs. 48.* de quodam ascitico, cui scrotum gangræna correptum decidit, testiculi sic denudati, callo rursus naturæ beneficio obducti fuere & æger postea diu sanus superstes fuit. Huc quoque spectant reliquæ hujus morbi solutiones paulo tamen rariores, quæ *Schenckius* l. c. ex *Solenandro* adduxit, de spontanea abdominis apertione, ex quâ postea vesiculæ plures aqua plenæ extractæ fuerunt. Huc refer *Obs. River. comm. is. it. ex Vido Vidio* de vesicula in umbilico orta, aquosum humorem fundente, cum ægri restitutione in integrum v. plura si placet ap. eund. l. c. Vesiculæ nonnunquam per alvum excretæ fuerunt, exempla leguntur apud *River. Cent. 3. obs. 27.*

Diuurna quoque abstinentia sine medicamentis, ægros restitutos fuisse, observatores memorant. v. *Schenck* l. c. p. m. 479. 480. *Hildan. Cent. 4. obs. 41.*

XXVII.

Supervenit nonnunquam *Hydrocele* & *Exomphalos* seu protuberantia umbilici. v. *obs. Hildan.* quibusdam *Epilepsia* accidit cum ingenti periculo, teste *Hippocr. Coac §. 454. Duræus* in *Comm. in h. l. p. m. 200.* observavit ejusmodi *Epilepsiam* interdum in apoplexiam mortiferam & insanabilem verti. Singulare tamen exemplum nobis servavit

vit *Ballonius* l. i. epidem. cujusdam hydropici, qui epilepsia accedente, abscessu in testiculis & femore factio ab utroque malo fuit liberatus. Quandoque suffocati moriuntur post alvi fluxum diuturnum biliosum vel copiosum teste *Hipp. 5. aph. 28.*

XXVIII.

lunguntur asciti anasarca, præsertim in fine v. §. 7. tympanitis magis in initio v. §. 16. quandoque etiam alii morbi, v. g. paralytis v. *Poter. obs. 5. cent. 1. Cur. 97.* Palpit. cordis v. *Solenandr. Conf. 9. S. 3.* Asthma v. *Trincavell. l. 3. conf. 34.* Icterus v. *Tulp. obs. medicar. l. 2. c. 36. &c.*

XXIX.

Duratio hujus morbi variat quidem pro diversa conditione causæ, symptomatum, temperantiæ ægri, atque ipsâ medelâ; citius tamen hoc morbo juvenes præ senibus occubuisse observatum est, aliàs diu ægros tenet suspensos intra spem metumque integræ sanitatis vel mortis. Frequentius ad *sex menses* producitur, quandoque *integros annos* superat, medicamentis idoneis nonnihil allevatus. Qui eo morbo succumbunt, plerumque *tempore æquinoctiali* moriuntur; recedere quandoque subito videtur, pessimum tamen hoc signum est, plerumque enim & quidem haud impune de novo ægros invadit, quem atrociorē postea experiuntur, morte presso pede sequente. Non rard imprimis diuturnior hic morbus suas patitur *periodos*, observatum enim, in plenilunio omnia in hydropicis exasperari conf. *Bagliv. lib. de sib. motrice.*

C

XXX.

Recidivæ huic morbo haud rarè contingunt, im-
 primis post medicamenta, effectum quidem, sed fomi-
 tem totius mali non tollentia, vel quod hic tolli nequeat,
 vel quod æger a medico eundem ignorante tractatus sit.
 Quandoque etiam ex errore ægri, qui post morbum
 profligatum nondum roboratis visceribus genio magis,
 quam par est, indulget, ac intemperantius vivit. Sin
 autem curatus hydrops redeat, ut plurimum *συναποδύκει*,
 ita Hippocr. in Coac. aph. 460. S. 2. in Fœs. Edit. *Aqua in-
 ter cutem, quæ curationi cessit, ubi recurrit, spem tollit.
 Cui non male Fœsius in nota subjungit: Causa enim perti-
 nax censetur & vitalium partium magna corruptio.* „Sic
 „Avus b. m. in obs. misst. exemplum habet mulieris a-
 „sciticæ, quæ ter ab ipso curata fuit, primo medica-
 „mentis convenientibus: postea casu disrupto umbili-
 „co, ita ut una vice aquæ plus minus 24. libræ profilie-
 „rint; a quo casu convaluit, & per semestre ferè bene
 „habuit. Sed semper negligens epatica medicamenta
 „tertia vice hunc in morbum incidit & mortua est.

XXXI.

Atque ita initium, progressum, & exitum hujus
 morbi sufficienter, uti speramus, delineavimus. Pro-
 gredimur ad ea, quæ anatome post mortem nobis de
 sede & causis hujus mali revelat, pressius tamen hæc pro-
 sequemur, quia jam in utilissimo opere, cui Sepulchre-
 ti nomen indidit, laboriosissimus ac Cl. Bonnetus hæc
 omnia fusius collegit; sufficiat nobis tantum ea exem-
 pla ad capita quædam relata paucis hic recensuisse, quo

eo

eo tutius postea ad ipsas causas progredi queamus. *Tria* vero in hoc morbo nuda historica relatione ex ipsis incisis cadaveribus *innotescere possunt* (1) aquæ natura (2) locus eandem continens & (3) viscerum interiorum constitutio.

XXXII.

Quod ad *primum* igitur (§. 31. n. 1.) attinet, *liquidum* (1) ratione *coloris* flavum, citrinum, urinæ simile, luteum aliquando, quandoque viride, sæpè loturæ carniū simile observatum fuit, interdum cruentum, plane nigrum apparuit, nonnunquam plane limpidum & crystallinum aquæ instar; sic lympham naturalis coloris nec foetidam ad 60 circiter libras in hydropico reperiit *Bagliv.* *Diss. var. arg.* p. 73. (2.) *Foetet* nonnunquam, quandoque sine odore insigni est. *Rodius* *obl.* 8. *Cent.* 3. halitum pueri hydropici sulphuris odore nares ferisse observavit. (3.) *Sapore* acidum est, atque sensibili acedine falsa linguam irritans, hinc in *Act. Classiens.* *vol.* 4. *obl.* 69. *Borrichius* lactis balneum coagulatum vidit a sudore foeminæ hydropicæ. (4.) *Consistentia* nonnunquam valde dilutum aquæ instar est, spissiusculum tamen ut plurimum, igni impositum in gelatinam concretit. *Barbett.* *in Praxi* p. 169. in foeminæ cujusdam hydropicæ abdomine primo tenuem lympham, postea gelatinam, deinde concretam, tandem duram & steatomaticam invenit. Cui adsentitur *Willisus pharm. rat.* p. 2. p. m. 156. qui serum hoc ovi albuminis in modum calore foci inspissari testatur. Variant tamen hæc omnino in diversis ægris; prout nunc recens effusum, nunc diu stagnans,

C 2

nunc

nunc urina, nunc lympha, nunc serum, pus &c. est. Et ex his modo singula seorsim reperiuntur, modo conjuncta novum aliquod compositum formant; non unius enim indolis hoc esse satis ex supradictis, uti confido, apparebit. *Quantitas* diversa esse solet pro corporis amplitudine & morbi diuturnitate; ita, ut quandoque 30, quandoque 40, 60, 90, quandoque centum libræ inventæ fuerint, imo ultra 100 libras in abdomine contentas fuisse *avus b. m.* in msst. obs. refert.

XXXIII.

Continetur vero secundo illa aqua plerumque quidem §. 31. n. 2. 1.) in cavo abdominis inter peritonæum & viscera, nonnunquam etiam 2.) inter peritonæum & musculos abdominis, referentibus *Platero*, *Liddelio*, *Blasio* aliisque. 3.) aliquando in omento, qui vocari solet *Ascites Epiploicus*, *Galeno* jam notatus *Comm. in Hippocr. 7. aph. 55.* Huc pertinet *obs. Horstii Dec. 6. Probl. X.* qui omentalem tumorem scirrhosum & glandulosum invenit libras 56 pendentem, exterius robusta & crassa membrana cinctum, in medio v. cavitatis fœtida sordidaque sanie repletum: item celeberr. *Amstelod. Profess. Fr. Ruyfchii obs. chir. 18.* ubi refert, in cadavere mulieris XV. annos atciticæ omnia viscera salva, tumorem tantum pilosum in omento repertum fuisse, quem ibi etiam delineari curavit. 4.) nonnunquam in duplicatura peritonæi formato ibi sacco inclusam aquam fuisse obs. referunt. Notabilis inter alias est *obs. Cl. Litrii*, quæ reperitur in *Obs. acad. scient. Paris. seu Memoires de l' academie anni 1707. 5.* aliquando ipse ventriculus & intestina aqua repleta obser-

servantur, ubi plerumque universalis inundatio esse solet, alias huc non spectat, sed ad hydropes particulares. 6.) Singularis ascitis species est, quando *Hydatides* nunc parvæ magno numero, nunc una vel pauciores prægrandes pendulæ observantur in istis modo enumeratis interstitiis; notantur enim & inter musculos abdominis & cutim, it. in omento &c. Hæc proprio nomine ab autoribus insignitur, vocatur nempe *vesicularis*. Hanc primus *Aretæus*, & post illum plurimi observarunt, uti apud supra laudatum *Bonnett*. exempla legi possunt. conf. *Ol. Rudbek deduct. hepat. & vas. glandular. serof. c. 9. p. 289.* It. *Cel. Ruysch. lib. cit. obs. 27. figur. e.* Glandulas autem has hydatides esse, atque ita ab aqua distendi posse, ut ad tantam molem excrescant, recentiores anatomici ad sensum demonstrarunt. Nonnunquam enim ipsius tunicæ e. g. omento adhærentem reliquasque etiam nonnihil instar bullularum elevatas observarunt; sic in *Act. Hassniens.* refertur glandula omenti inusitatæ magnitudinis ab *Ol. Borriob. visa v. vol. 2. p. m. 203.* sic in anasarca extinctis glandulæ subcutaneæ visum subterfugientes, optimè in conspectum prodeunt. Lymphatica & lactea sic extendi asserit *Cl. Bidloo Exercitat. anat. chirurg. Dec. 1. Exerc. 2.* in qua prolixè de hydatidibus agit, earumque varia genera recenset. 7.) Singularem obs. *Palsyn* habet *Chir. P. 1. c. 13.* ubi in cadavere asciticæ materia purulenta serosa in sacco duro & mensuram unius & dimidii capitis excedente, exterius inæquali, interius multis cellulis & loculamentis, communicationem inter se habentibus, repleto, inventa fuit. Parti superiori seu fundo uteri adhæ-

fisse hunc sacco refert, quem nihil aliud fuisse putat, quam mirum in modum dilatatum & expansione sua cavitatem abdominis replentem tunicam exteriorem uteri.

XXXIV.

Et ita ex hac ultima obs. etiam constare potest, quid de eorum sententia censendum sit, qui ubique in ascite *Epar* incusant. Idcirco enim sollicite eas tantum obs. colligunt, ubi *Epar* in cadavere male adfectum repertum fuit, & ita exinde falsam suam & inadæquatam procedunt Pathologiam.

XXXV.

Equidem optime memores sumus, (ut no. 3. §. 31. satisfaciamus,) illarum obs. ubi *Epar* morbidum confectum fuit; nimirum nunc quidem *pallidum*, fere *exsangue*, nunc *tumidum*, nunc *atrum* & simul *densum*, *durum*, seu *scirrhosum*, infinitis quoque *coloribus variegatum*, sæpius tanquam *corium torrefactum*, nunc *abscessibus purulentis* obsessum, *hydatidibus* quoque repletum observatum fuit, v. *Ruyfch. l. c. Obs. 45.* Reliqua exempla apud *Bonnet* l. c. legi possunt. Quamquam vero hoc verum esse fateamur, & ita ut plurimum hoc ita esse concedamus; tamen haud minus certum est, *primo* in allegatis obs. fere semper una c. epate etiam lienem, pancreas, glandulas mesenterii, omenti, renes male constituta fuisse; *deinde* prostant præter supra ex *Ruyfchio* adductas obs. plures, ubi *epar* repertum fuit sanum: ita *Bonnetius* ex *Dodonæi* obs. l. c. refert urinam in abdomine effusam per aliquot foramina, in vesica urinaria producta ab uteri ulcere, repertam fuisse, salvis una c. epate reliquis

vi-

visceribus. *Rondeletius* quoque *Prax. c. 35.* ab ulcere menterii, reliquis visceribus salvis, productum asciten referunt.

Lienem corruptum & totam fere ipsius substantiam picæ liquatæ similem in quodam hydropico, epate optime constituto, vide sis apud *River. obs. comm. 6.*

Renēs parvos, pallidos, nulla pinguedine obductos vid. apud *Schenck. obs. l. 3.* Eosdem multis ulceribus fistulosis perforatos, adnatis hinc inde renum corpori hydatidibus, ex quibus scissis aqua profuebat, erosa simul undique eorum exteriori tunica, observavit *Plater. prax. p. 260.* Sic etiam *parens b. m.* in ascitico quodam observavit renes plurimis vesiculis aqua plenis refertas, quarum una præ cæteris eminens pendulum saccum in abdomine formabat.

Testes seu *Ovarium muliebre* aliquando mirum in modum tumidum, lividum, quasi fungosum hydatidibus refertum in asciticis, vid. apud *Schenkium l. 3. obs. & Bauhin. in append. ad Roussel de partu Cæsar. it. Ruyssch. obs. 17. l. c. Bidloo lib. cit. Dec. 1. Exerc. 2. p. 17.* exemplum habet hydatidis pendulæ ovario dextro alligatæ, quæ capiebat libras 40. liquidi, tanta cum ventris distensione, ut imprægnatam mentiretur. Tandem lubet & addere *Obs. 70. Cl. Ruysschii l. c.* quæ exhibet in cadavere asciticæ peritoneum variis in locis duris particulis arenulas mentientibus confersum venamque portæ ex parte osseam factam, cæteris visceribus satis bene constitutis, omento tantum in totum consumto.

XXXVI.

Coeterum sunt nostro malo obnoxii præ omnibus aliis homines illi segnes, ignavi, stupidi, tardi, languidi, habitu corporis turgido, pallido, minusve firmis fibris præditi, in quibus etiam in univertum aqueæ substantiæ abundantia in humoribus præsto est, quos vocant *phlegmaticos*. Post hos *sanguinei* vel ad minimum ex utroque *temperamento mixta complexione gaudentes*, conf. *Excellentisf. Præf. Patron. & Præceptor. etatem devenerandam in Diss. de Temperam. fundamento morum. & morborum in gentibus.*

Dein experientia confirmatum est, *omnis ætatis* homines huic malo esse expositos, præciores tamen præ aliis in hunc affectum sunt in ætate juvenili & media constituti, & uti notatum est ab *Excell. Arch. Regio D. D. Stablio in Diss. de morbis ætatum*, qui tenera juventute catarrhosis defluxionibus vexati sæpius fuerunt, posthac tumoribus oedematosis corripuntur, oedemata frequentissimè ascitis occasiones existunt. Interim qui obesi sunt corporis, & temperamentum superius descriptum possident, cum senium attingunt & quadam de causa elater vasorum dejicitur & ita excretiones sægniter procedere incipiunt, sæpius hydrope corripitur, obs. medica fidem faciunt, vide, si lubet v.g. *Cent. 4. obs. 13. &c.* Imò quod mireris, ne foetus quidem in utero materno semper ab hoc hoste tutus existit; vide si lubet tale exemplum in *M. A. Severino l. de recond. abscess. natura c. 36. p. 266. it. Plater l. 3. obs. p. m. 656.* Cum denique *Fœminæ* per antiquissimam jam opinionem frigidiores ut plurimum sint viris, si frequentius illis tumores cede-

oedematofos, asciticosque incurrant, non est, quod miremur.

XXXVII.

At enim vero cum recensitæ circumstantiæ (§. 36.) non eo sensu à nobis adducantur, ut eas pro causa morbi proxima venditemus, quibus vel singulis vel etiam conjunctim positis statim sequatur adfectus noster; bene enim meminimus, utrumque contingere quandoque, nempe, tum ut morbo hoc alius temperamenti, sexus & ætatis homines affligantur, quàm nos recensuimus; tum etiam, ut homines, in quibus hæ circumstantiæ vel singulæ vel conjunctæ reperiuntur, alium quandoque experiantur morbum: sciendum hujus conditionis esse *ut plurimum* eos, qui hoc morbo laborant. Corripiuntur vero tum demum hi (v. §. 36.) homines nostro morbo, quoties una vel altera ex sequentibus circumstantiis ipsis obtingit. Potest vero quandoque singularis sufficere, quandoque tamen plures junguntur, imo jungantur necesse est.

XXXVIII.

Nimirum 1. *Aer* frigidus humidus multum contribuit ad hunc morbum; inde tam frequens in locis maritimis, ut in Anglia, Belgio & similibus locis; quam 2. hisce gentibus solitus abusus *potuum* calidorum aquosorum, in nimia quantitate quotidie bis vel ter usurpari solitorum, minime hic excludendus sit, præcipue, si nullo modo, nec alvo, nec urina, nec sudore excernantur. Deinde 3. observatum e censu *ut plurimum* literatorum, monialium & monachorum fuisse asciticos,

D

ob

ob sedentariam quidem vitæ rationem; ob eandem etiam causam sartores, futores, textores huc referendi, ita: fuliones, olearii, balneatores, piscatores, zythopeptæ, lotrices, quia in aere valde humido & vaporibus repleto degunt; imò quidam hominum dimidia corporis parte in aqua versantur, hinc ad hunc morbum præ aliis sunt proclives. Conf. *Ramazzin Tr. de morb. opificum.* Ex *Tempestatibus* anni autumnò maxime hydropes fieri asserit *Hippocr. S. 3. aph. 22.* nulla alia de causa, quam quoniam pluviis & nebulis ordinario aerem refert, caliginosumque reddit; medietas etiam illius, quæ vergit versus hyemem & multum frigoris junctum habet. Si quæ hisce *mæror* & *tristitia* animi, omnia, ut notum, in œconomia vitali languida reddens, & frequens usus crasforum, viscidorum, flatulentorum accedat ciborum, comagis dispositum corpus ad morbum hunc suscipiendum evadit. *Aguas palustres & stabiles Oribasius l. 5. collect. c. 3. & allium asciticis multum locere, Tulpius notavit l. 2. obs. c. 25.*

XXXIX

Porro inducunt etiam asciten, frequenti medica experientia teste, *consuetæ Evacuaciones suppressæ.* Ita ab urina suppressa hydropem secutum esse spatium paucorum dierum scribit *Nenterus pathol. med. p. 101.* Suppressiones hæmorrhagarum per nares, per uterum, ut mensium & lochiorum, quacunque de causa contingant, sæpius excipit cachexia & hydrops in sanguineo-phlegmaticæ temperiei hominibus, ac plethoricis. Fluxus hæ-

mor-

morrhoidum quacunq̄ue de causa cohibitus, præsertim in plethoricis, asciten producere potest. Vide Hippocr. s. 6. aphor. 12. Ita Trajanus imperator ex retentione hæmorrhoidum asciticus factus, semelque curatus recidivam passus ex eo mortuus est. v. Dio Casius. Quod suppressos fluxus efficere diximus, illud pari ratione *immodici* efficere valent. Quid enim notius, quam quod excretiones sanguinis per nares, hæmorrhoides, uterum nimias, præsertim sinistre per restringentia medicamina repressas, hydrops excipiat. Excretio in dysenteria immodica sæpius mater hydropis est. Hippocr. s. 6. aph. 23. *qui hienos, aut difficultate intestinorum corruptum, ut feber veniens longam dysenteriam aqua intercusit in intestinorum levitas excipit & moriuntur.* Hæc vero tum plerumque contingunt, si præpostere adstringentibus sistantur, nec æger debitis analepticis reficiatur. Sudores nocturni, præsertim circa æquinoctia salubri nature consilio contingentes, si intempestive supprimantur, asciten producere quandoque solent. *Interdum enim in plethoricis & in febribus intercusit in intestinorum levitas excipit & moriuntur.* Omnia *Turgescentia* vel alimenta vel medicamenta, quæcunq̄ue nimirum sanguinem commovent, stimulo fibras, viis minime liberis ab obstructionibus, humoribus adhuc crassis, hydropi & ita etiam asciti progignendo ansam præbent; ita ex ulu *salium volatillurinosorum* in corporibus spongiosis, si commotis jam humoribus, aut corporibus ad minimum plethoricis & calidis humoribus præditis adhibeantur, quia stimulo & restringendo solida tantum agunt, talia provenisse frequentius cautiore notarunt medici.

XL.

Frigide confertim haustæ potus, corpore prius calefacto, hunc morbum etiam inducit, a quo subito plerumque, intra paucos sc. dies, hic morbus oritur nullo pedum prævio tumore. Sic *Fr. de le Boe Sylvius in Tr. de morb. epidem. §. 540. p. m. 846.* observavit non semel, in ardore ac siti febrili intra duos tresve dies a potu copiosius ingurgitato excitatum fuisse asciten.

XLI.

Quædam quoque *venena* ad hunc morbum producendum efficacia esse notarunt, ut *Buprestis* &c. sic memini quoque me legisse, a *vermibus* intestina vasaque lymphatico - lactea in iis hiantia corrodentibus hunc morbum quandoque ortum fuisse. Huc etiam referri meretur, quæ a violentia externa hujus morbi inducitur causa, ut quæ fit a contusione e regione epatis, ita a vulnere externo, cujus habet egregium exemplum *Parentis* *o paragrinc* in milite quodam gregario, qui vulnus „acceperat in sinistro latere tribus super papillam digitis. „Hujus militis corpus tribus a vulnere accepto horis totum ita intumuerat, quasi hydropicus a longo tempore „fuisset æger, cujus sanitas cum omnibus medicis præsentibus desperata videretur, sudoriferis & diureticis propinatis, non neglectis interim medicamentis accommodatis, integre restituta est. Non negamus tamen & aerem hic esse accusandum. Denique, quin excessivæ crebræ potationes *spirituosorum tam vinosorum, quam imprimis ardentium* liquorum huic morbo sæpius ansam dederint, dubitare nos non sinit experientia,

tia, præprimis tamen in spongiosis illis corporibus, debilibus præditis fibris & hinc excretionibus secretionibusque languidis hæc contingere solent. Pariratione *acidulæ* & *thermæ* fortiuntur hunc a vulgo jam declamatum effectum.

XLII.

Cum fœcunda semper malorum reperiatur progenies, & hunc nostrum adfectum sobolem plurium *præcedentium morborum* esse, res videtur admiratione minime digna. Ita *febres intermittentes* male tractatas per chinam chinæ &c. in personis fucci plenis & laxioris habitus corporis, imprimis scæminei sexus, vitæque otiosæ & sedentariæ excipit communiter tumor œdematoso-hydropicus, deinde etiam ascites, conf. *Excell. Dn. Præsidis Præceptoris etatem de venerandi Ideam medic. fund. C. de morb. ex imprud. medicatione.*

XLIII.

Succedit quoque omnibus pertinacibus *viscerum obstructionibus*, *scirrhis* quoque epatis, lienis, pancreatis, uteri, intestinorum, glandularum majorum mesenterii, seu omnium seu præcipuarum, ac renum. SuffICIENTER hæc docent obf. practicæ, & ipsæ cadaverum sectiones, conf. §. 35. Et hæc est frequentissima fere atrocis hujus mali humanum genus depopulantis scaturigo, sic enim *Avus b. m.* in msst. sæpius allegatis ita de se scribit: *Experientia mea*, „qualicumque didici, nullum hydropicum vere ita dictum „sine alicujus visceris obduratione, nunc majori nunc leviori, mihi fuisse oblatum.

Morbos quoque acutos imprimis ardentissimos v. g. inflammatorios viscerum, sive acri in iis sitim suam inexplebilem nimio potu demulcere imprudenter tentaverint, sive quandoque etiam sine siti fuerint, haud raro infequitur ascites.

XLV.

Cachexiam excipere etiam solet dirus hydrops; ita quidem frequenter, ut inde a quibusdam cachexia primo hydropis gradu habita fuerit; quod quanquam non penitus sit verum, tamen cachectici in proxima dispositione ad hydropem positi sunt; & devolvuntur denique sepius in statum asciticum. Est vero hoc metuendum praecipuum in iis subjectis, ubi vigor activitatis vitalis remittit. vid. *Excellentissimum D. Stahlum, in Diss. de Cachexia §. 21.* Praesertim vero *maritalia* improvide data in cachexia infantum hunc fortiter effectum, testis erit iterum *Excellentiss. D. Praesec. i. §. 42.*

XLVI.

A *tympanitide* quoque haud raro hic morbus oritur, semper enim haec paullo diuturnior in ascite degenerat, nisi homo valde sit debilis vel alio symptomate mori praevenerit, uti observavit *Avus b. m. in mss. citat. conf. etiam Bagliv. in diss. varii argumenti p. m. 72. & 94.* ubi duos insignes casus refert tympanitidis in asciten mutatae. conf. supra §. 16. & 28.

Nonnunquam etiam *Icterus* terminatur in hydropem, uti & *Scabies retropulsa*, conf. *Bagliv. l. 2. Prax. med. §. 9.* ubi locum ex *Hippocr. in Epidem.* refert; item *Scorbutus*

butus, vide hic imprimis *Eugalen. de Scorbuto. Podagram* in asciten degenerasse non raro, asserit *CL. Wedelius*. Nobis etiam constat, *curam lactis* in podagrigo quodam intra septimanarum duarum spatium hydropem abdominis produxisse, qui creberrimis purgationibus tandem sanatus fuit.

„*Ulcera quoque repressa* hunc morbum produciunt: „ita *avus b. m.* ex fistula ani 20 annorum temere suppressa „asciten sensim generatum fuisse observavit l. c. idem in „virgine 24 annorum ex apostemate & ulcere umbilici, „ex suppressione mensium proveniente, eundem morbum procreatum fuisse notavit.

XLVII.

Hactenus omnia bene procedunt & habemus hic non facile quendam contradicentem, cum omnia certæ observatorum experientiæ innitantur; sed aliter sese rem habere, cum ad causam hujus mali proximam devenit, cui libet scripta medicorum evolventi patebit.

Abeunt enim hic in diversa autores: Plerique epar incusarunt, cum eo tamen discrimine, quoad fundamentum imputationis, ut antiquiores *Galenici* usque ad *CL. Sennertum* epar dixerint esse causam proximam ascitis, quoniam eo per scirrhos aliosve morbos male adfecto sanguificatio lædatur, hujus vero læsionem hydropsis unicum esse causam firmiter credebant.

Fernelius ex ruptura *videlicet* in epate, quas rimas seu fissuras vocat, serum in cavitatem abdominis destillare & omnem asciten eo modo produci asserit.

Deni-

Denique sunt ex Recentioribus, qui epar præcipue in hoc morbo respiciunt, quia est præcipuum lymphæ colatorium, Conf. *Excell. archiarr. D. Stahlum Præceptorum meum omni honoris cultu prosequendum in Diss. elegantissima de Hydr. Ascite* §. 23. 26. & seqq.

Helmontius in renibus sedem causæ ponit, dum in *Tr. suo Ignotus hydrops* §. 20. n. 19. post pauca inquit: „Causa immediata tam materialis, quam efficiens veri hydropis est archeus renum errans, quatenus sc. exorbitat, ac in furorem velut percellitur, a causa occasionali ideam gignit sive speciem --- per quam sc. vix aut non separatur urinam --- quin etiam velut furiosus dimittit laticem ad abdomen, ut sui velut interneccionem procuret.

XLVIII.

Non libet examinare fustius hæc opinioniones. Brevis dicam: mihi omnes illi errare videntur, qui unicum tantum viscus pro causa hujus morbi proxima allegant. Quid enim respondebunt illi v. g. qui pro epate deprehensum? conf. §. 34. & 35. similiter renes salvi adhuc pluries reperti; quorsum ergo ruet *Helmontii* hypothesis? v. §. 47. At, inquit, sæpius imo ut plurimum epar in asciticorum cadaveribus læsum fuit repertum, & *Helmontiani* similia pro renibus allegabunt exempla, alius aliud viscus accusabit. Verum respondeo: vera sunt hæc omnia, est in epate, est in renibus quandoque, imò sit ita, ut plurimum vitium deprehensum, sed ut plurimum non semper. Divide & imperabis.

Nimirum nullum est viscus (per §. 33. & 35. in abdomi-

domine quod non quandoque in asciticis læsum reper-
tum, quandoque etiam plura uno læsa deprehensa fue-
runt; imo omnia viscera interna multis vesiculis materia
viscosa & aquea plenis referta, quarum numerus exces-
sit nongentas, reperit *Horstius Opp. V. 2. lib. x. p. m. 541*. Er-
go nullum ex visceribus unice & semper in culpa erit.

XLIX.

Subolfecit istud jam dudum *Celsus L. 3. c. 21*. ubi Era-
sistratum confutans, qui etiam solum jecur hic adfici pu-
tavit, non hujus, inquit, visceris unius hoc vitium est.
Nam & splene adfecto & in totius corporis male habitu fit.
v. quoque *Cæli Aureliani Tard. passion. l. 3. p. m. 435*. Pa-
rem errorem errarunt etiam illi ex veteribus, qui a nimio
calore, seu *intemperie calida*, hunc morbum deducunt,
inter quos etiam *Celeberr. Comringius* reponendus est. In eo
enim error latet, quod eam solam, uti alii ex veteribus
contra frigidam intemperiem, pro causa adducunt, re-
liquasque omnes excludunt. Nihil enim familiarius est,
quam quod idem effectus sæpe etiam contrariis causis
suam originem debeat. Nolo in dubium vocare, a calo-
re nimio quandoque hæc produci, cum experientia hæc
satis clara sint; neque tamen minus evidens erit, si & fri-
gus nimium & nimis diu durans, quod humores
æque coagulando ac calor nimius exsiccando inspissat,
in eadem classe reponam. Fieri etiam potest, ut
sine vitio alicujus visceris hydrops nascatur: ut quando
ab errore externo per §. 40. serum in abdominis cavitate
colligitur. Hic enim obstructio glandularum forte va-
forum lacteorum in mesenterio produci videtur, quod et-
iam ex modo curandi, quo *Piso in Tr. de morbb. a serosa collu-*

vie usus est, (nimirum dedit tabulas Diacarthami, qui roborando seu leviter adstringendo simul purgant.) confirmare videtur.

L.

Non vacat nobis pluribus hic inquirere in causam mali nostri proximam, brevibus igitur rem expediemus. Si indolem causarum (a §. 36. ad 47.) cum natura effectus conferamus, concludemus sequentem in modum: Liquor, qui in asciticorum distento abdomine continetur, est vel urina vel serum sanguinis, vel lymphæ, vel pus conf. §. 32. *Urina*, quod ex corrosa vesica urinaria per ulcus v. §. 35. in abdomen confluere debeat, in propatulo est; *Pus* provenit, cum epar aliaque abdominalia viscera, vel etiam mesenterium ulceribus vel abscessibus purulentis obsidetur, conf. §. 35. *Pus sero s. lymphæ permixtum* replebit abdomen, si ab ulcere una cum sanguineis vasa lymphatica vel lactea v.g. in mesenterio corrosa sint, conf. §. 35. & hic unus modus est, ubi ex ruptura vasum lymphaticorum hic morbus per *diæresin* producitur, ab ulcere nimirum.

LI.

De causis vero ulcerum hic loqui res non est hujus loci. Quomodo vero alio modo *lymphæ* hujus mali causa proxima esse queat, sequentem accipe modum: nimirum lymphæ si stagnat, distendet vasa continentia & hydrotides pariet, sique diu duret malum, nimia distensione rumpet vasa. Ad stagnationem deducitur vel vitio *sui* dum sc. spissitudine peccat & ita obstructions efficit; vel vitio *glandularum fecernentium*, quæ obstructæ vel scirrhoræ sunt. Cum igitur lymphæ circulatio impedita sit,
sub-

subsistit & ante dicta mala parit. Lympham vero spissam reddunt ea, quæ §. 38. adducta sunt. Hæc enim depreciant tonum solidorum, quorum elatere dejecto vigor secretionum & excretionum imminuitur; spissæ itaque partes remanent in humoribus, cumque massa humorum minus strenue propellatur, semper spissescencia augetur. Solidarum enim partium vitia fluida mutant in pejus & vice versa, ita ut mutuas causarum & effectuum vires hæcce agant. Præprimis vero atonia partium maxime posthac malum fovere solet.

LII.

Ubicunque igitur *glandule* vel *vasa lymphatica* sunt in abdomine, ibi ascitis inveniemus causam effectricem. Ergo non tantum in epate, sed & in liene, renibus, glandulis mesenterii, omenti, pancreate &c. sedes erit causæ hujus morbi proximæ, quandoque in uno viscere solo, quandoq; in duobus, tribus conjunctim, imo in omnibus per §. 48. aliquando in vasis lymphaticis solum hærebit. In casu enim §. 40. & 49. adducto certe glandulas salvas esse & lymphatica tantum ita distenta vel rupta, valde vero simile videtur. Refert etiam *Dimerbroek L. 1. c. 12. p. 116.* salvis plerisque visceribus lymphatica tantum rupta in hydropico observata fuisse.

LIII.

Et iste modus (§. 50.) quidem satis evidens est, non solum tamen adfirmare hunc solum atque unicum esse, quo ex obstructis visceribus noster adfectus oritur; sic ut quidem asseramus, hydatidas istas in visceribus imprimis observatas ab omni causa obstructe & impediende refluxum semel advectæ lymphæ oriri,

E 2

non-

nondum tamen affirmemus, causas istas obstruentes necessario & semper hydropem producere, & si hunc producant, factis id hydatidibus fieri debere.

LIV.

Experimentum a *Lowero Tr. de corde c. 2.* vel ex eo a *Williso Pharmæ. ration. S. 2. c. 3.* descriptum etiam nostrum supra adductum (§. 50.) fiendi modum illustrare videtur, ubi ligatis venis, arteriis vero liberis relictis, & ita adfluxu uti sanguinis ita & lymphæ, quam ab arteriis autores deducunt, vigente, refluxu vero impedito, cessio lymphæ, i. e. irruptio nimis magna lymphæ in vasa sua, horumque tandem disruptio contigit, & ita ascitis prognatus fuit.

LV.

Sanguificationem vero inde (§. 50.) turbari debere, seu sanguinis confectionem non rite fieri posse in asciticis, inde patet, quod chylus cum lymphâ omnium fere partium sub diaphragmate positarum prius cisternam lumbarem chyli ingredi debeat, quam in ductum chyli ferum, & demum ex hoc in venam subclaviam pervenire queat. Cum autem in abdomine asciticorum maxima ex parte retinetur, quomodo chylus in sanguinem mutari poterit? Inde etiam fit, quod partes superiores in thorace positæ suo nutrimento debito & lymphâ defraudentur. Hinc ratio petenda ejus, quod §. 13. de contabescencia asciticorum & §. 18. de eorum siti adductum fuit.

LVI.

Notari etiam meretur, quandoque in causando priorem locum obtinere vitia viscerum, quandoque vero vitium liquidi, & nonnunquam ipsam feri collectionem,
ita

ita ut ab hac illa dependeant, ut iis accidit, qui ab haustu enormi frigido in dispositionem hydropis (§.40.) conjiciuntur. Et hoc etiam in culpa est, quod ordinem causis hactenus adductis assignare nequeamus: est etiam hoc ipsum in genere factu impossibile, & debet hæc discretio in ipso individuo a prudenti medico fieri. Quæ enim in quibusdam ægris proximum inter causas locum occupabant, hæc ipsa in aliis remotius concurrere ad producendum morbum videas. Sic nunc hoc viscus proxime ascitis sedes erit, nunc magis remote, ac, ut vocant, per consensum ex aliorum viscerum actione læsa adficietur. Neque enim ipsæ sectiones cadaverum solæ indicant proximam mali causam; nam sæpius effectus est, quod nobis patefaciunt: ut nunc taceam morbos conjunctos, ubi semper sedulo attendendum, quænam visceris læsio alicui morbo adscribenda veniat. Haud raro etiam effectus morbi, imprimis diutius protracti, esse solent, quæ immediate ipsum morbum produxisse putantur.

LVII.

Forte etiam *Serum* ex ipsis vasis sanguineis majoribus ac minoribus visceribus ipsis intextis, quandoque majori in copia per poros tunicarum transfudat & in cavitatem abdominis recipitur, (vocant per diapedesin,) qualem modum etiam *Cl. archiater D. D. Stablius in Diff. sæpius citata non improbabiler adstruit, sc. lympham per poros vasum lymphaticorum ita exsudare in cavitatem abdominis, (præprimis cum rupturam eorum non facile contingere asserat) præcipue si per exteriora abdominis indumenta foras exire nequeat, vel quod meatus in cute sint obstructi, constricti a frigore externo &c.*

E 3

vel

vel quia in majori proportione transfudat, quam quod evacuari possit per ordinariam diapnoën vel diaphoresin e corpore.

LVIII.

Forte quoque, si, quod probabile est, vascula minima omento inserta in abdominis cavitatem hient, atque ibi vaporem illum, quo irrorata viscera in sectionibus cadaverum deprehendimus, emittant, hæc vascula anastomosi facta causa collectionis hujus serosæ esse possunt.

LIX.

Plures forte sunt modi, quibus hic morbus producitur; præcipuos tamen evidentiores admodumque probabiles, ni fallimur, omnes attulimus.

Hæc ita paucis de ætiologia morbi nostri adduxisse sufficiant. Possimus facile inde explicare phænomena & reliquos effectus hujus mali in historia morbi (§.6.22.) adductos. Hæc enim omnia tum ex confectione chyli læsa, ipsam sangvificationem lædente, malaque omnium partium nutritione, tum ex ipsius seri stagnantis corruptique effectibus, quasi summis capitibus, facili negotio deduci poterunt.

Sed potius trademus hujus mali *Differentias*. Hæc igitur ex superioribus collectæ erunt sequentes.

LX.

Nimirum Ascites (1.) *ratione loci* secundum quosdam distinguitur in *verum & spurium*. Verum vocant, ubi aqua in cavitate abdominis, spurium, ubi non in cavitate libere continetur, sed clausa est in membranis quibusdam, ut in sacco peritonæi. v. *Palfyn. l. c. & Mr. Lierre l. c. (v. §.33.)* in vesiculis quibusdam (v. §.33. no. 6.) seu dilatatis glan-

glandularum cavis, vel vasis lymphaticis &c. (2.) differt ratione cause continentis, conf. §. 32. (3.) ratione cause remotæ internæ, ut aliquando scirrhi epatis, lienis aliquando &c. conf. §. 35. (4.) ratione complicatorum morborum v. §. 14. 16. 23. inde vel exquisitus vel minus exquisitus audit. (5.) ratione durationis, v. §. 29. ut inde vel recens vel inveteratus sit. (6.) denique quidam ab aliis morbis prægressis ortus, quidam non. v. §. 42. 47.

LXI.

Imminere morbum nostrum suspicio seu metus est, cum causas procatarticas & proëgumenas (v. §. 38 - 47. it. §. 36.) præcessisse ex ægro cognovimus, pedes aliquando tumere incipiant, & quanquam rursus subsideat, tamen redeat tumor, appetitus pereat, urina pauca, tenuis, aquola, cruda excernatur, subjectum incipiat ad omnes animi & corporis motus tardum & segne esse, respiratio difficilis adsit præcipue sub adscensu scalarum. Adhuc magis hic metus crescit, si cachecticus status præsens sit simplex vel scorbuto junctus.

LXII.

Adesse vero ascitem Signa ex historia morbi supra recensita, & exinde facile colligenda patefaciunt, addendum tantum iis, quæ de tumore abdominis ibi monuimus, nunc unum tantum latus tumorem occupare, nunc utrumque, ita ut venter quasi in duas partes dividatur. Probe quoque observandum, ne confundantur *ascitice* & *gravidæ* mulieres. Discernere autem eas ab invicem ex sequentibus nos docet *Estmüllerus*: (1) ex colore faciei vivido & bene habito in gravidis; sed hoc per §. 13. fallere potest. (2) ex tumoris specie. In gravidis tumor ab-

dominis

dominis ad præcordia sursum vergit estque inæqualis; In hydropicis autem inferior pars abdominis intumescit, mammæ detumescunt, & tumor undique æqualis & quasi œdematosus est: sed quod hoc ultimum attinet, semper illa præ oculis habenda, quæ in initio hujus §. monuimus. (3) signum certum ascitis est fluctuatio in abdomine, sed confer §. 10. (4) vivacitas & vigor oculorum significat gestationem. (5) urinæ in gravidis non sunt ita constitutæ, ut asciticorum. (6) quo se vertunt ascitici, eo labitur aqua, conf. iterum §. 10. (7) fitis in hydrope juncta est, in gestatione non, conf. §. 18. (8.) sub hydrope menses sæpe fluunt, in gestatione non &c. Hoc ultimum signum tamen minime certum est, cum etiam in gravidis nonnunquam menses fluxerint; quale v. g. refert exemplum *Lottichius obs. med. l. 5. obs. 17. it. Gregor. Horst. opp. T. 2. l. 5. obs. 34. 41. 48. &c.* nec semper abortum minatur talis fluxus, uti *Cl. Wedelius in Diss. de not. gravid. c. Hippocr. S. 5. aphor. 60.* asserit: contrarium enim quandoque contingere supracitatæ ex *Horstio obs.* nos docere poterunt. Motus infantis in utero vigesima septimana contingens omnem dubitationem tollere debet.

LXIII.

A *tympanitide* ascites ita discriminatur secundum *Mentionium in Diss. patholog.* quod tympanitici liberius respirant & decumbant quam ascitici, partes etiam supernæ in illis minus discrucientur quam in his, nec inferna membra in tympania extumescant perinde ac in ascite fieri solet. Abdomen ad concussum manus præensione resonum est, pressum vix demergitur, moxque relurgit, nec ut in ascite impressionem servat: attende tamen in hisce ultimis signis ad ea, quæ §. 8. jam monuimus. LXIV.

LXIV. Quomodo dignosci debeat, an *hydrops ovarii* muliebri adsit [v. §. 35.] inter desiderata medica ponendum est.

Ipsam cavum uteri clauso accurate ejus orificio interno tantam aquarum copiam nonnunquam collegisse, ut mentitus fuerit ascitem, vide sis apud *Greg. Horst. opp. T. 2. obs. l. 4. obs. 53. Aerium l. ult. p. 79. 109. Fernel. pathol. l. 6. c. 15. Hildan. obs. 56. Cent. 2. it. Vesal. Anat. LV. c. 9. p. 627. & 628.* qui supra 60 Augustanas mensuras aquæ in utero hydropico invenit. Quomodo talis uteri hydrops ab ascite discerni debeat, cum perfecte quandoque eundem mentiatur, & graviditatis specie medicum fallat, cum ignarissimis nescimus, nec apud autores consignatum reperimus; nisi quod tentata curatio per fomenta relaxantia, vapores tales, it. uterina adhibita detexerit aliquando morbi sedem.

Quando a morbis prægressis, ut febribus, scirrhis &c. profectus ascites & ab iisdem foveatur, hoc & ex relatione ægri & ex signis cuilibet morbo propriis petatur, ex quibus ultimis etiam dignosci debet, quænam pars adfecta sit.

LXV. *Prognosis* quod concernit, eandem supra in historia morbi jam recensuimus, ut quædã tantum addenda habeamus. Nimirum

(1) *Ratione specierum* hydropis: ascites omnis hydropis speciebus periculi gravitate præit, quod confirmat *Aretæus l. 2. diut. c. 1.* „dum inquit: omnes species hydropis quidem prævæ, inter ipsas „autem leucophlegmatia mitior, difficilis flatuosa, difficilior anasarca, maximi momenti etiã vesicalis, ascites certe periculossimus.

(2) *Ratione ægri*: primo melioris spei est in juvene & robusto homine ob majorem vitalis activitatis vigorem præsentem. Dein facilius sanantur temperantiæ adfueti ne luxuriosi, imprimis a potu, quantum fieri potest, abstinentes: hæc enim causa est, quare *Celsus l. 3. c. 21.* judicavit, facilius hoc malum in servis, quam in liberis „tollî, quia, inquit, cum desideret famem, sitim, & mille alia tædia „longamque patientiam, promptius iis succurritur, qui facile con- „guntur, quam quibus inutilis libertas est. Cautus igitur sit medicus in Prognosi, ne intemperantia æger prædictum ex natura morbi exitum fallat.

(3) *Ratione Causæ*: Ille ascites, qui a vasis lymphaticis ruptis fit, curatu impossibilis existit, nisi ruptura sponte coalescat. Immedicabilis etiam, qui ex ureterum, aut vesicæ, aut renum, aut mesenterii

terii &c. læsione, ruptione aut exulceratione oritur. Difficulter & fere nunquã sanabilis, qui aliis morbis succedit, imprimis, qui scirrhis viscerum inveteratis debetur (si enim recentes & leviores sint, nec per hydatides v. §. 33. n. 6. morbum prodixerint, modo §. 51. & 53. descripto, aliter utique sese res habet) dein, qui acutis & chronicis, qui diutius ægrum detinuerunt, ejusque vires detriverunt, supervenit, secund. Hippocr. 7. prognosticor. Sanabilis tamen ascites, qui febres suppressas v. §. 42. vel hæmorrhagias suppressas, vel etiam nimias v. §. 39. it. scabiem retropulsam v. §. 46. excipit, si tamen statim in initio medicina adhibeatur, quod etiam dictum sit de illo, qui ab errore externo defubito orrus, v. §. 40. vid. etiam Pifo in Tr. de morb. a serosa collævie obs. 112. Bene igitur constitutis visceribus melior spes apparet, unde Hippocr. in Prorrheticis eos, qui ab hydrope servari volunt, ἐὼσπλάγχνος esse debere affirmat, conf. Coac. prenot. text. 275. & seqq. (4) Ratione Symptomatum: Magnitudine, vehementia, & varietate accidentium & corruptione virium magis incurabilis judicatur: parva vero magnitudine atque paucis & simplicibus accidentibus, quæ Græci symptomata appellant, & sine nimia virium læsione, minime curatione difficilis approbatur, ut verbis utar Cæl. Aureliani l. 3. Tard. Pass. c. 8. p. 424.

Apostasæ vel maculæ in cruribus erumpentes lethales sunt, v. Hippocr. 7. Epidem. it. Ulcera incurabilia plerumque sunt & ad mortem ducunt, quod etiam optimus Senex affirmat aphor. 8. 6. in Corn. Cels. l. 3. c. 21. de tussi Hipp. §. 7. aphorismus 47. prostat, ubi ita: si hydropicum tussis habeat, desperatus est, conf. §. 6. aphor. 35.

Pro meliori signo etiam a medicis habetur, si, quod rarissimum tamen, sitiant parum, e contra commode plus minus appetant; Ille æger tamen, de quo supra §. 18. mortuus est, an forsitan ideo, quod nulla medicamenta assumere voluit: uti obs. msst. avi b. m. referunt.

Denique quo magis excretiones naturales supprimuntur, eo pejus, quo minus a statu sano recedunt ac quodammodo etiam augentur, eo melius est: sic enim Celsus l. 3. c. x. si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secunde valetudinis spes est. Reliqua vide in historia morbi. (5) Ratione sedis morbi seu loci, ubi aqua continetur. Si aqua contineatur in vesiculis quibusdam seu hydatidibus v. §. 33. n. 6. incurabilis est, nulla enim arte humana ibi contentas educi potest, nisi sponte, uti §. 26. dictum, ope

ope naturæ sanetur, quod tamen rarissimum. Ascites epiploicus dictus v. §. 33. etiam immedicabilis est, quorsum referendus Hippocr. aph. 55. f. 7. ubi ita: *quibus epar aqua plenum erumpit in omentum, iis venter aqua impletur & moriuntur.* Idem quoque iudicium de eo ferendum, quem §. 33. n. 7. adduximus, ob easdem rationes, quas de vesiculari dedimus. Nec illi, qui eo detinentur, quem §. 33. n. 4. descripsimus, meliori gaudebunt fortuna. Optimæ species coeteris paribus sunt illæ, quæ n. 1. & 2. §. 33. describuntur, quæ bonam spem de se præbent, si reliqua conspirent, & modo suis se signis manifestent, ut a superius recensitis fecerni queant. [6] *Ratione durationis* seu status morbi: Inveteratum hydropem incurabilem esse, in confesso apud omnes est rationales medicos. [7] *Ratione complicatorum morborum* hoc notandum, cum asciten, qui cum tympanitide incipit, ut plurimum esse lethalem. Alius ascites, qui cum leucophlegmatia copulatur & a pedibus incipit, non adeo periculosus est [in suo tamen genere.] [8] *Ratione temporum anni:* Ita enim *Cæli Aureliani. Tard. Passion. l. 3. c. 8. p. 434.* æstatis tempore laborantes difficulter sanari putat, siquidem multa sibi adficiuntur, de quò plura ibi legi possunt. v. *Cels. l. 2. c. 8.* Atque hæc de Prognosi sufficiant.

LXVI. Aggredimur nunc *Therapiam*, quam sequenti modo pertractabimus. *Indicationes generales*, quibus hic morbus arte medica profligari poterit, respiciunt vel causam continentem, i. e. illud fluidum, quod in abdomine p. n. contentum eundem distendit; vel causas proximas hanc continentem producentes, vel causas procatarticas & proëgumenas. Quæ proëgumenas & procatarticas respicit indicatio, eam vocant *servatoriam*, quæ vero duas priores, *curatoria* dicuntur. In genere monendum, esse e re ægri, ut curatio initio mali suscipiatur, hic enim valebit illud: Principiis obsta &c.

LXVII. *Curatorias* indicationes sequenti modo exequemur:

1. Evacuazione liquidi stagnantis in cavitatibus abdominis v. §. 33. n. 1. & 2.
 2. Remotione, & correctione causæ hujus extravasationis seu collectionis liquidi, uno verbo fontis obturatione, v. §. 35. 51 & sq.
 3. Restitutione toni viscerum dejecti v. §. 38. & c. ii. 51.
- Ab *evacuazione* liquidi cura incipienda, (non a causæ sublatione) &

& hoc eo citius, quo majus periculum ab humore effuso diutius ibi stagnante metuendum; nam corrumpitur, ac redinem concipit partes, quas alluit, corrodentem, imo gangranam & sphacelum viscerum sæpius producit. Tentabimus vero eandem variis modis, ut

a) *Subducendo* per alvum. Præparantia non opus esse arbitrantur autores, cum humores satis fluxiles sint, si tamen circa primas vias mucus hæreat, is abstergendus, digerendus, & evacuandus digestivis jam sat cognitis. Ad evacuationem ipsam quod attinet, commendant hic ut plurimum fortiora, nota tamen sunt exempla, ubi datis fortioribus ne minimum quidem asciticis alvus mota fuit, leniora e contra & ecoprotica fortiter eandem subdixerunt. Cavendum & hic imprimis, ne nimis fortiter purgantibus diarrhœam excitemus non semper tutioris eventus, & ut hanc eductionem potius per vices corrigentibus interpositis exequamur, quam una vice ægrum evacuando, vires & ipsum viscerum tonum hic maxime conservandum, & qui nimium quantum jam hic periclitatur, dejiciamus. Confirmat hoc *Excellentissimus D. Præses in Diss. de Purg. fortior. &c. §. 17.* ubi de methodo tractandi hydropem per drastica loquens subjicit: hujus naturæ remedia cum tonum ventriculi & intestinorum hoc morbo jam labefactatum penitus lædant & destruant, & violenta constrictione, ne flatulentis & lymphæ stagnationi magis occasionem præbeant, non possunt non irreparabile damnum hoc malo correptis inducere, & quæ ibi sequuntur plura. Certe toni dejectionem gangrana sphacelum denique producens non raro sequitur. Sic *CL. Rollinkius* observavit, subitanea tali feri evacuatione catarrho suffocativo virum illustrem extinctum fuisse. Imo, cuius supra oblitifumus, purgantia drastica hydropem produxere. Ita enim *Excellentissimus D. Præses l. c.* refert ex *A. N. C. Dec. 3. A. 4. obs. XI.* civem Wittenbergensem post sumtum a circumforaneo purgans drasticum incidisse in hydropem ascitem, & ægre tandem valetudini pristinae restitutum fuisse. Rejicimus igitur drastica illa purgantia, gumm. gutt. scammon. elaterium &c. nisi quod bene præparatis viis & humoribus, ubi leniora non sufficiunt, stimuli loco quandoque ad aliquot grana propinari possint. Commendamus potius leniora illa, qualia sunt rhabbarum, fol. senæ

nae, tamarindi, mechoacanna, myrobalani; imprimis fucus iridis nostratis c. manna & fyr. de cich. c. Rheo mixtus egregie aquas sine molestia eduxisse scœpius visus est Avo. b. m. in mst. Vel possunt exhiberi, secundum egregiam methodum *Excell. D. Præsidis*, fortiora in refracta dosi c. additione salium digestivorum v. g. resina Jalapp. c. pineis vel amygd. trita ad monitum Zwölfferi paucorum 3. 4. granor. dosi c. tartari vitriolati gr. jv. extr. panchym. Crollii gr. x. A scr. i. mechoacannæ præparatis pri9 humorib9 hydropicos ultra x sedes copiosissimas habuisse refert *Excell. D. Præsides in diss. cit.* Pulverem Jalapp. ad scr. sem. cum rhab. dosi anatica & tartari vitriolati gr. 10. exhibitum ascitico, eundem satis fortiter evacuassee & ad 20. sedes provocasse refert *Avus* b. m. l. c. Solo usu rhabarbari continuato quosdam asciticos curatos fuisse memorant autores. Credo fuisse in initio morbi, visceribus nondum valde obstructis, adhibitum, alias & roborandi, attenuandi, & diuretico scopo prodest lenissimum hoc catarticum.

β) *Per diaphoresin*: Quanquam non soleant facile ad eandem disponi per §. 24; scœpius tamen per hanc viam solutus fuit morbus; ita referente *Cl. Boërhavio, Præceptore colendo, in Coll. mst. in aphorismos*, chirurgus quidam Leodiensis cuidam ascitico epithema ex sale communi, ægro fornaci propius admoto, applicuit, & madefacto uno novum siccum apposuit, & ita exsiccando eundem curavit. Magis tamen hic per *externa topica* excitandus sudor, quam per interna diaphoretica remedia. Hæc enim parum vel nihil, obstructis cutis exterioris poris, efficient. Ad naturam ægri singularem hic etiam respiciendum, an ad hanc evacuationis speciem s. viam inclinaret, & circumstantiæ reliquæ morbi patiantur commotionem talem humorum. Si enim ægri in statu sano natura non proni fuerunt ad sudores, dyspnœam hic facile augebimus, in primis si plethorici sint.

γ) *Per vomitum* quoque educi posse materiam in personis alias evemetis, junioribus, viribus nondum a morbo prægresso prostratis, & in initio mali, testantur *obsf. conf. & §. 25*. Accedit, quod & scœpius soleant simul evacuare per alvum & urinam, imo qui effectus quandoque præ omnibus aliis expetendus, quia obstructa viscera & infarcta reserata atque sic *causam* simul & *fomitum* huius mali tollere motu suo concussorio valent. Præprimis tum indicantur,

si signa humorum circa ventriculum & tenuia intestina hærentium, vel mucii in ventriculo præsentis ex nausea spontanea adsint. Potest exhiberi v. g. sal vitrioli, quod roborandi & incidendi vi pollet simul, ad scr. i. vinum emeticum vulgare ad uncias ij. &c. poterunt digestivâ a salina, ut alias fieri solet, vel præmitti vel conjungi.

δ) *Diuretica* hic sæpe profuisse obs. medicæ testantur. Ita profuisse Spadanas aquas, forte referatis simul visceribus, probabile est, v. *Heur. ab Heers obs. i. p. 37.* Forte etiam tali modo suum effectum produxere Teplicenses, de quibus *Jac. Janus*, Archiat. Reg. Daniæ, in *Epp. mss. ad Avum b. m.* sic scribit: Nota mihi sunt exempla hydropticorū, qui hic plene & totaliter convaluerunt, etiā constanter & absque recidiva. Non tamen hæc exempla statim in imitationem transire debent, cum non semper de certitudine effectus, & ægri interna viscerum conditione constet; an sc. tantum iis suppetat robur, ut eam aquarum molem superingestam digerere, fecernere, & excernere possint. Non paucos enim hunc quasi acherontis potum bibisse & sic sibi mortem conscivisse, etiam in vulgus notum est. Melio hunc scopum, siquidem natura præeunte v. s. 22 hanc viam tentare velimus, impetrabimus falsis illis digestivis simul incidentibus, quæ duplici hic scopo profunt. Adhibeantur ergo salia neutra falsis mixta in statu ægri calidiore febris juncta; in statu vero frigidiore & absente febre diuretica ex vegetabilibus e. g. petroselin. fœnic. puleg. seseli cretic. linaria, asparagus, rad. graminis, vincetox. pimpinell. alkekengi &c. vina Rhenana juniora, Mosellana &c. e compositis Troch. de Rhab. Cappar. Diacurcum. Supra dicta simplicia ex vegetabilibus profunt precipue, si infundantur e vino, ut inde vinum fiat medicatum. Hæc vina medicata & tutius & melius operari omnibus aliis, illisque maxime hydropem, si modo curari possit, sanari, experientia longa se comperisse scribit *Fel. Plater. opp. pract. T. 3. c. 3. p. 255.* *Bonnetus in not. ad Fosston.* refert, matronam 60 jam annum prætergressam, a juvenute ascite laborantem, usu vini talis medicati, infusis laxantibus quandoque interpositis, & hisce per tres hebdomades ita continuatis, epate emollito, & excitato tam largo urinæ profluvio, ut etiam diabetem metueret, convaluisset.

ε) Reliquorum evacuantium per scarificantiâ, vesicantiâ &c. usum melius & tutius omittimus ob funestos inde a practicis nota-

tatos eventus, quanquam non desint, qui & cum fructu hæc adhibita fuisse memorent. Sic inter alios J. C. *Claudinus de Ingr. ad infirm. l. 2. c. 6. p. 141.* scarificationis feliciter in cruribus tumidis a se administratæ meminit, quæ ordinario alias sphacelum, vel & ulcera hic fere nunquam sanabilia producunt. Conf. *Excellent. Archiatr. D. Stahl. præceptor. etat. devener. in Diss. de ascite.*

§) Denique quoad *Paracensefn* in diversa abeunt autores, nonnullis eandem suadentibus, quibusdam vero plane rejicientibus. Verum circumstantiæ loci, temporis &c. ut in cujuslibet remedii applicatione, sic & hica prudenti medico respici debent. Equidem rem dubii eventus esse, ob signa incerta loci, ubi aqua hæreat, certum est. Ita, si vesicalis sit ascites v. §. 33. n. 6. infelici cum successu hanc operationem tentari, evidens est, & confirmant id etiam observationes. Brevibus: si unquam hæc operatio locum habet, fieri debet sub morbi initio, juvene & viribus nondum exhausto ægro, visceribus salvis, nec alio morbo perditis, fluido in stagno & in locis v. §. 33. n. 1. & 2. hærente, nondum putrido nec diu ibi existentis. Quæ omnes circumstantiæ cum ut plurimum non satis perpensæ fuerint, nec etiam omnia per signa satis cognosci queant, non mirum infausto plerumq; cum successu hanc operationem fuisse institutam. *Regule* quomodo operatio ipsa institunda & *Cautele* in hac operatione administranda legantur apud auctores chirurgos v. g. Aquapend. Solingē, Dionis, Palfyn &c.

LXVIII. In genere adhuc notandum, quandoque unum ex hisce evacuationum generibus sufficere, quandoque vero plures conjungi, vel alternari debere pro diversa cujusvis individui & morbi præsentis natura. Successive evacuandum, a lenioribus incipiendo interposita quiete, varianda etiam medicamenta esse, ne æger iis advescat, & medicamenta frustra deinde adhibeantur, legibus meth. med. general. conforme, & ex illis notum est.

LXIX. Indicationem secundam v. §. 67. n. 2. ita exequemur, ut *humorum, ut lymphæ &c. spissitudinem* corrigamus attenuantibus, qualia sunt diuretica superius §. 67. lit. [d]. adducta; dein rad. gram. rad. & fol. cichorei, taraxaci, hb. capillares, cuscuta, capill. veneris &c. absinth. cortices ut winteranus, chacarill. cappares &c. hæc omnia vino infusa magis quam alia forma data profunt: porro aromata, mercurialia, mercurius dulcis, præcipitatus ruber &c.

falia

salia alcalina fixa plantarum per incinerationem parata, ut geniffæ stipit. fabar. hederæ &c. ex horum cineribus parata lixiviam, ut & ex ligno dulcamar. profunt, si vinum tenue diureticum iis superfundatur. Inprimis myrrha, aloë, iuniperus, cochlearia & antiscorbutica commendanda. Ita meminit *Avus b. m. l. c.* sceminam quandam ex cachectica asciticam factam, cuius venter fuerit 5. ulnarum mensura in amplitudine, & pedes unius ulnæ, aliorum medicamentorum, quæ a variis medicis acceperat, pertasam spiritum juniperi vulgarem hisce simplicibus superfudisse, & bibisse singulis diebus aliquot cochlearia & sic continuando spatio trium mensium plene convaluisse. Abstinit ab omni vini & cerevisiæ potu, vidit eam *Avus b. m.* postea Cliviæ 1665. sanam & incolumem. Hisce referantur etiam *obstructiones* viscerum, ut epatis, lienis &c. minores, & scirrhi incipientes, quorum de reliquo cura ex tractatione propria horum morborum petenda. Qui ascites a morbis prægressis ortus fuit, pro indole istorum morborum tractari debet, adjuncta simul generali methodo hydropem tractandi, qualem præmissimus. Conf. *Archiatr. Excell. D. Stahl. in Diss. de morb. consiq. corrupt. febribus interm. turbat. & corruptis, de Tumore oedematoso podagrico & sim.*

LXX. Denique (§. 67. n. 3.) *Debilis viscerum*, sive sit causa sive ascitis effectus, tollitur roborantibus, martialibus, chalybeatis, salinis junctis v. g. limat. mart. c. aloë in pillul. TRa mart. tartarifata, TRa vitrioli mart. Ludovici, pill. Sylvian. ex vitriolo martis, rhabarbarinis, abinthiacis, ut essent. absinth. Syr. de abinthio, &c. Cort. tamarisci, winterano, chacharilla, fraxini, Rad. cappar. acetos. gentian. & talibus innumeris. Potest & hic a lenioribus subadstringentibus incipi & ita, si opus videatur, ad fortiora adscendi. Hæc omnia debita dosi & per tempus sufficiens continentur.

Hisce rite adhibitis *Dieta debita* concurret, ut ita & vitali & præservatorie indicationi satisfaciatur. Consistet hæc primo in medicamentis analepticis v. g. miva cydoniorum &c. *Avus b. m.* Electuar. diacubeb. ad confortand. & exsiccandum perutile reperit; Deinde victus sit initio præprimis ex cibis evceptis, nec nimia quantitate assumatur, aromatizatus zingibere &c. brevibus: sit siccus, calidus, potus quo parcius, eo conducibilior, vinum bibatur meracum vetus, adstringens, cerevisia sit oleosa pinguis, ut Brunsvic. mumma &c. Corpus sufficienter moveatur, cavendum tamen ab omni vehementiori animi & corporis commotione. Aer sit temperatus, magis tamen ad calidam temperiem inclinans.

Hæc via si non semper tolli, multum tamen hujus morbi sevitiam leniri posse speramus, & ita huic nostræ Dissertationi, quæ præter opinionem crevit, finem imponimus. Meliores meliora dabimus. Summo vero Numini sit pro concessis viribus Laus, Honor, & Gloria in sempiterna Secula.

Ma 1683

ULB Halle

004 582 233

3




f
56.

Rest. / Schm

Jan. 26







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

HYDROPE ASCITE,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,

PRINCIPE PORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

PRÆSIDE

D. FRIDERICO HOFFMANNO,

COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU
OBTINENDO,

Publico Eruditorum examini submittet

AUCTOR RESPONDENS

JOHANNES JACOBUS WEISE,

BEROLINENSIS - MARCHICUS.

D. Junii MDCCXVIII. Horis, locoque consuetis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.